



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXV [i. e. CCCCXXV].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

tentia, & actio seu executio iudicati, l. In iudicio Famil. ercise. Bald. in l. Ex legata in fine C. de legat. l. 1. C. De contrar. iudic. tutel. Tirag. de retract. § 26. Gloss. 3. nu. 22. Ad illum nimirum effectum, ut quemadmodum cedentes, omisa cessione, via executiva adversus condemnatos Rodolphum & M. Ioannem procedere potuissent ad executionem illorum, quæ dicta Domini Rectoris sententia continet; ad eundem quoque modum nunc recte potuerit & possit D. Michael, qui huiusmodi ius cessionis & transportatum habet; hoc est, omne ius, quod dictis Antonio & consortibus competiit & competebar tempore transactionis; non tantum ex testamento præfati Domini Adriani, sed etiam quodcumque ex causa & occasione illius aliquo modo competebar, adversus alios Executores, & eorum hæredes, seu eos representantes: sub qua generalitate cessionis procul dubio quoque comprehenditur & dicta Domini Rectoris, & quince iudicium sententia; & ius executivum ex re iudicata super actione, quæ iisdem cedentibus competiit ex præfato testamento; saltem pro ea parte, quæ dictos Reos concernit: prout etiam Actor ad eandem partem ipsos concernentem dumtaxat conclusit. Quia in re Actor tanto certius fundatus est quod iure consortii, vel saltem actione negotiorum gestorum à Reis, cessante etiam hac cessione, merito consequi debeat, quod illi per soluta seu data ex hac causa transactionis abest pro parte ipsos contingente: quasi suo & illorum negotio utiliter gesto, & in communem causam expenso eo, quod transactionis causa D. Michael solvit. Ob quam communem causam pro parte socios seu correos contingente, iusta est repetendi causa, l. 1. & ibi Gloss. & DD. C. De duob. reis, l. 2. § ex his & ibi DD. De verb. oblig. l. 3. § penult. l. Ex facto De negot. gest. l. 2. in fine C. De contrar. iudic. tutel. l. 1. § nunc tractemus De tutel. & ration. disraben.

19 Quæ dicta sententiæ & executivi iuris cessio ob id inutilis dici non potest, quod per præfata transactionem & solutionem Domini Michaelis penitus extincta videatur omnis actio, & obligatio iudicati; ut solutione omnis actio & obligatio tollitur & ob id ab eo, cui solutio facta est, frustra petatur & obtineatur cessio actionis, quæ sic facta solutione extincta est l. Nulla C. De solu. l. 1. C. De contrar. iud. tutel. potissimum quia solutione unius ex correis, ceteri omnes liberentur, l. 3. § fin. De duobus reis. Nam etsi verum sit, quod solutione simpliciter & absolute facta, atque item pacto, vel transactione unius ex pluribus reis, in totum etiam quoad correos, seu ex eadem causa obligatos, penitus perimatur obligatio & actio; ita ut nulla apud creditorem ex eo tempore relideat actio, quam postea ex intervallo utiliter adversus alium cedere seu transferre possit: utilis tamen est actionis cessio, quæ fit solventi tempore, & in momento pactionis, transactionis, seu solutionis; quia iuris intellectu censetur huiusmodi cessio fieri ante solutionem; quasi ob futuram solutionem, seu saltem ob factam ex causa veluti emptionis: quasi scilicet debitor emere, & creditor sic paciscendo seu accipiendo pecuniam, vendere censetur cessas actiones, quas utiliter & efficaciter

exercere poterit cessionarius contra eum, contra quem cessæ sunt, eodem iure, quo cedens ante cessionem idem facere potest, l. 1. C. De contrario iudic. tutel. Vt de uno ex duobus tutoribus vel potius aliquo extraneo, pro omnibus tutoribus totum solvente, eleganter respondit Modestinus, l. Modestinus De solut. Quo casu ipsa pactio, imò & numeratio pecunie, non pro solutione, sed pro pretio emptarum actionum est; & non tam perimit aut extinguit, quam conservat & transfert actionem seu ius quod ceditur.

Cum igitur inter D. Michaellem & Antonium & ejus consortes hoc expresse actum fuerit, continue eodem contractu, & temporis momento, ut Antonius & consortes omne suum ius cederent D. Michaeli, prout postea etiam cesserunt, & ex adverso Michael à prosecutione appellationis recederet, & quæ in instrumento compositionis continentur, ex adverso præstaret; dubium esse non potest, quin per hanc transactionem, seu verius compositionem, emptionem, & redemptionem, iis quoad effectum rei iudicatae penitus extincta non fuerit, sed utiliter & efficaciter in Dominum Michaellem translata: cuius beneficio adversus hujus causæ Reos merito ob id decernenda sunt petite litere executoriales; & quidem ad extremum juris rigorem, ex quo Rei temere & inconsulte contempserunt per Actorem ipsis oblatam communicationem commodi & utilitatis eicte transactionis & compositionis; hoc est omnimodæ liberationis, salva refusione eorum, quæ Actor ob eam causam dicto Antonio, & ejus consortibus præstitit, & in expensas litis expendit; non in solidum, sed pro eorum parte dumtaxat.

De Testamentis.

SUMMARY M.

Executor testamenti an habeat remedium possessionum.

1. 4. Executor testamenti an sit possessor bonorum testatorum.
2. Executor testamenti an habeat remedium possessionum.
3. Depositarius, commodatarius, & similes deventores habent remedia possessionum.
5. Feudalis rei possessio sine relevio acquiri potest.
6. Possessor naturalis tantum habet remedium redintegrande possessionis.
7. Exceptio domini non admittitur adversus spolium.

CONSILIVM CCCCXV.

VISITIS actis causæ redintegrationis instituta in Amplissimo Concilio Brabantie, inter Dominum & Magistrum Engelbertum Wamesium, eique adjunctum Domicellum Adamum Bruyn, tamquam maritum Domicellæ Margaretæ Roben suæ vxoris, Imperantes; ac Domicellam Gertrudem van Leroede, Opponentem; præsupposita probatione eorum, super quibus testes & testimonia recepta sunt, eximamus Impetrantes redintegrationem petitam obtinere debere. Nam cum præfatus Dominus Engelbertus in testamento seu ultima voluntate Domini Theodorici Leroede deputatus Executor, assumpto onere executionis, ingressus sit domum, seu Castrum & villam de Merlenhoven, in dicto testamento præfata Domicellæ Margaretæ, uxori dicti Domicelli Adami relicta.

relicta, omniaque mobilia in ea inventa, una cum pecudibus ibidem repertis descripsit, & in Inventarium redigi fecerit; & imposito seu relicto ibidem inquilino, traditis illi clavibus, custodiam tam domus, quam in ea repertorum illi mandaverit, ad effectum executioni mandandi dictam ultimam voluntatem, ac dictæ Domicellæ Margareta illam, seu ejus vacuum possessionem secundum dictam voluntatem tradendi; consequens est, eandem domum, cum suis pertinentiis, fuisse in manu D. Engelberti Executoris; ita ut sequens dicti inquilini per præfatam Domicellam Gertrudem exturbatio non possit non pro spolio & ejectione accipi; quod imprimis & ante omnia tollendum ac redintegrandum est, evacuata & restituta sic spolio occupata possessione, *cas. Redintegranda tit. q. 1. potissimum quia dicta Domicella Gertrudis adversus præfatum D. Theodoricum suum fratrem, de his bonis litem prius possessionem, postea desertam possessionem petitoriam instituit, quæ adhuc indecisâ pendet: cujus respectu eadem Domicella Margareta in præjudicium ejusdem litis attentavit & innovavit, & vitio spoli vitium attentatorum atque innovatorum adjecit; & sic etiam in periculum amittendæ actionis incidit, propter rem, ad quam jus prætendebat, vi occupatam, l. Si quis in tantam C. Unde vi.*

1. Nec huic dictorum Impetrantium actioni, seu petitioni quicquam obstat, quod Executor testamenti regulariter pro possessore rerum hereditiarum immobilium ipso jure non habeatur; præsertim iis locis, ubi possessio defuncti continuatur in ejus heredem, *Rebuff. ad consil. regius tit. de sent. provision. in præfat. nu. 72. Tirac. in tract. Le mort saisis le vis, declar. 5. cum eo casu adversus heredem difficultius competat interdictum manutentionis seu retinendæ possessionis: * quia pro tali possessore reputari debet Executor testamenti, postquam ad manus ejus sine vitio pervenit rerum hereditiarum sub executione comprehensarum possessio, aut Executor illam ingressus est ad hoc, ut inde de facto per vim eiici non possit; & si eiiciatur, ei recte detur remedium, & beneficium redintegrandæ possessionis. * Quod datur etiam iis, qui rerum detentores dumtaxat, non etiam possessores sunt; ut est depositarius & commodatarius, qui rei tantum custodiam pro alio, non amplius in re deposita habent, l. Licet §. ult. De positi. His enim competere hoc remedium, sive officium Iudicis propter ejectionem, auctor est Speculator, & eum sequutus Ioan. Andreæ, in tit. De caus. propriet. & possess. §. 1. versic. sed nunquid; quos etiam in eo sequutus Socinus, in l. Rem qua nobis n. 6. De acquir. vel amit. possess. & Ioannes Franciscus Ripa, in d. l. Rem qua nobis q. 21. qui dicit hanc communem esse Doctorum sententiam. **

4. Iam verò Executor testamenti, præsertim cui testator bona executioni subiecta in manu posuit (ut contigit in præfati casu) nihil aliud est quoad custodiam, quam depositarius: indeque Executores testamentorum Manusfideles vulgò vocantur. Sed in eo laborandum non est, cum in omnem eventum hæc per dictum Executorem facta possessionis apprehensio sit facta etiam ad opus dictæ Domicellæ Margareta, cui hæc bona testamenti Conf. Wamef. Tom. II.

mento relicta fuerunt; ut per alterum alteri possessio facillimè acquiratur, l. i. C. de acquir. & retinen. possess. ita quod illa merito se huic causæ adjunxerit.

Nec patrocinari debet Domicellæ Gertrudi, quod ipsa hæc bona jure feudi relevavit: nam præterquam quod non constet hanc domum, in qua vis commissâ est, feudalem esse, quodque relevium seu investitura nihil juris tribuat in præjudicium tertii, c. Per tuas & ibi Gloss. De donat. hoc quoque verum est, vasallum non posse alium, id quod feudum ipsius dicitur possidentem, spoliare vel eiicere. Nam id si facit, incidit in penam amissionis juris, si quod in illa habet, *Cynus in d. l. Si quis in tantam, Bart. in l. Si finita §. si de vestigalibus nu. 3. De damno infecto & ibi Alexand. nu. 31. cum nec verum dominium seu proprietatem vim inferenti patrocinetur, d. l. Si quis in tantam. Proinde curandum non est, quod nec dictus Executor, nec dicta Domicella Margareta, hæc bona jure feudi relevaverit: nam præsupposito (non tamen concessio) quod hæc domus sit feudalis, nihil prohibet, quo minus illius possessio naturalis, saltem sine relevio acquiri possit. Quæ etiam per solum relevium, seu investituram non acquiratur, nisi naturalis possessio non vi, non clam, non precario accedat, c. Per tuas & ibi Gloss. in verb. in possessione De donat. c. Ex ore & ibi Gloss. in verb. nisi mandatum De iis que sunt à maiori parte cap. Guido Papa decis. 415. nu. 2. * Ita ut in hoc concursu illius, qui naturaliter rem prius sine relevio possidere cepit; & illius, qui postea præmissio relevio possessionem occupat, quoad possessionem potior sit, qui illam prior ingressus est, ad hoc, ut vi non possit eiici vel spoliari cum sit possessor; & in interdicto Unde vi, item remedio redintegratorio tantum juris tribuatur possessori naturali, ut ei qui potiore jure illam occupat, c. In literis De restit. spol. Ripa in c. Sape nu. 23. eod. tit. Rubens in l. Naturaliter §. nihil commune De acquir. vel amit. possess. cum & malefidei possessori competant, multo magis qui bonæ fidei est huiusmodi possessoria remedia.*

Novissime intentioni Impetrantium non repugnant ea, quæ per Opponentem obiciuntur de testamenti nullitate & invaliditate: nam in hoc genere iudicii non admittitur exceptio domini seu juris deficientis in spoliato: sed ea reiici debent ad iudicium petitorium (cum maiorem requirant indaginem, l. 2. & 3. C. De edicto D. Adr. tollen. & spoliū ante omnia redintegrari oporteat, d. c. In literis De restit. spoliat. Socin. in l. Rem qua nobis n. 20. De acquir. vel amit. possess. Quamvis in aspectu dicti testamenti nihil sit quod integritati ejus visibili detrahat; quod ad possessionem rerum hereditiarum etiam consequendam, multo magis retinendam satis est, d. l. 2. & 3. C. De edicto D. Adr. tollen.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Executores testamenti an & quando conveniri possint.

1. Filius ante patrem vel matrem hereditatem avi vindicare non potest.
2. Cessionarius non potest plus iuris habere quam cedens.
3. Creditorum pacto ius debitoris non mutatur.
4. Maritus bona uxoris alienare non potest.

Bb 3

5. Execu-